Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1889
Quelle:
Copyright:

bens post octo menses ad incudem ad patriam est reversus.

V. *fol.* 187. p. 2. *Incipiunt addiciones ad Sermones discipuli. Primo passio christi abbreuiata ex 4^or. euangelistis et ex dictis sanctorum collecta.* Init: *O vos omnes qui transitis per viam* &c. Extat in editionib. inter *Sermones Discipuli de Sanctis* numero *Sermo* XIV. Sub finem, qui aliquantum variat, ubi Edita habent: *infideles quidam heretici hoc non faciunt*, Codex legit: *Hussite heretici* &c. Sequuntur Sermones *in festo Dedicationis*, *de Indulgentiis* et *de duodecim fructibus misse*, ad cujus postremi calcem dicitur: *predicandus rusticis qui stant foris ecclesiam infra missam.* Atque hi tres in Edit. additi sunt ad *Sermones de Sanctis.* Sed in Codice succedunt alii quatuor, qui mihi ἀνέκδοτοι videntur, videlicet: *Sermo de infinita misericordia dei. De peccatis venialibus. De nouem generibus hominum quorum pena augmentatur in inferno. Sermo quorum gaudium accidentale in celo augmentatur.* His accedunt noti *Casus papales* et *episcopales*, et *Inhibiciones a sacra communione.* Ad has porro ita ingreditur: *Infra scriptos quos nominabo prohibeo a communione eukaristie, nisi contriti et confessi fuerint et absoluti, et satis fecerint vel adhuc satis facere velint iuxta consilium suorum confessorum.* Enumerat dein LX. Casus, et quidem: *Primo carentes vsu rationis et in qua etate pueri accedere debent, hoc quere in Discipulo de tempore Serm.* 47. &c. Vides omnia haec adhuc pertinere ad *Job. Heroldum*, qui sub finem addit: *Sciendum quod quilibet plebanus potest pro quolibet peccato mortali subdito inhibere communionem, vnde quilibet plebanus potest addere uel diminuere istos articulos secundum quod sibi videbit populo suo expedire;* et suadet hos Articulos populo saepius praesertim Quadragesimae tempore promulgare.

VI. *fol.* 235. *Tractatus*, ut e calce adsumo, *de confessione magistri Heinrici de Hassia.* Saepe citat Nostrum hunc Theologum suis in Scriptis *Heroldus*, unde non mirum, quod praesens Opusculum sua etiam manu transscripserit. Init illud: *Tibi dabo claues regni celorum. Mat. 10. Verbum hoc cuilibet dicitur sacerdoti* &c. et fertur quandoque titulo *de Clavibus Ecclesiae*, aut *de Eruditione Sacerdotum directorium pro audienda peccatorum confessione.* A nobis jam *Vol.* super. non semel relatum.

DCCLXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 3289 Folior. 292. f. per duas columnas bene scriptus, minio distinctus, et olim *Monasterii Lunaelacensis*, sive *Monsee* O. S. B. in *Austria* super. quod jam a 1748. millenarium suae Fundationis egerat, nunc vero abolitum est, insignitur, ut e calce praeoccupo, *Prima pars scilicet hyemalis Abortiui milicij in quo continentur sermones ad Clerum de tempore et de sanctis*